torrenti immergitur. Liquidô hinc aëre liquidiq[ue] liquet: quid de Davidicis Sententiis, quarum largam nobis copiam in Psalmis suis, cedrô dignis, fecit, sit sentiendum. Aurea profectò potiori jure Davidica Dicta sunt putanda, quàm Pythagoræ olim putabantur Carmina. È sexcentis v. aureis, imò aurô contrà carioribus Hieropsaltæ Dictis, non imum sibi vendicat locum, quod Psalmo XCI. commate XI. paucis his Ebraicis consignatum de Angelorum Custodiâ legitur verbis: *Propositio.*

כִּי מַלְאָכָיו יְצַוֶּה־לָּךְ לִשְׁמָרְךָ בְּכָל־דְּרָכֶיךָ׃

h. e.

DOMINUS MANDAVIT ANGELIS SUIS DE TE, UT CUSTODIANT TE IN OMNIBUS VIIS TUIS.

Quoniam igitur Oraculi hujus Davidici occasione adductus Cathedram perorantium iterum conscendi, de Angelorum Custodiâ sub verbalis alicujus Chriæ schemate in præsenti dicturus, Vos, Symmathetæ dulcissimos, etiam atq[ue] etiam rogatos volo: ut, quam probare mihi, conjectis in me tàm blandis oculis, cœpistis favoriam, hanc porrò præbetis, linguis animisq[ue] favere perseveraturi: donec ad metam, quam sibi proposuit, feliciter decurrat Oratio.

Et sanè verbis suis, numerô quidem paucissimis, sed pondere gravissimis subindicare voluit Psalmista: DEUM, sapientissimum illum justâ ac benignissimum Mundi Architectonem, ordinâsse Angelos suos: ut piis, in vocatione suâ ambulantibus, sive vigilent, sive dormiant, sive peregrinentur, sive rusticentur, sive domi sedeant, certissimô sint præsidiô. Veruminverò ita omninò est: quod DEUS, *Tractatio.*

> futuræ sortis immensus Arbiter,
> Rerum potente fata qui molitur manu,

in aliis quàm plurimis iisq[ue] immensis beneficiis non unum, non duos, sed plures tutelares Angelos ad piorum ordinârit custodiam: utpote quâ quammaximè adversus vim et fraudes Satanæ opus haberent.

Cogitate mihi heic, Symmachi, cogitate Diaboli, nequissimi omnis *Caussa.*